

Patres ob Alexandri mortem id, quod re evenit, ex-<sup>1503</sup>  
 stimantes fore, ut multa oppida malis artibus ab Cæfare  
 capta ejus imperium essent detrectatura, præfectis aliquot  
 Ravennam missis, copiarum, quæ ibi erant, numerum du-  
 plicaverunt. pauloque post Decemviri Christophorum Mau-  
 rum, unum ex quinqueviris, qui res bellicas in Senatu  
 procurant, legatum creaverunt, atque in Flaminiam con-  
 tendere jusserunt, ut, si quod ex Cæsar's oppidis sponte  
 reipublicæ se dederet, ab eo reciperetur. Cumque com-  
 plura jam Romanorum principum castella pagique, ejectis  
 aut interfectis Cæsar's ministris, ad priores dominos red-  
 iissent, Pisaurum, Ariminum, Camerinum, Senogallia,  
 etiam Populonia, cujus regem Cæsar expulerat, oppidum-  
 que ceperat, idem factura dicerentur: Guidus Ubaldus  
 & ipse suum ad regnum recuperandum a popularibus accer-  
 situs, triginta auri libris a Senatu mutuo acceptis viæ se  
 dedit, eoque adveniens omnibus ab oppidis magna gratu-  
 latione est receptus. Cæsar, non tam quod esset morbo im-  
 plicitus, quam propter Romanorum civium in se se odia-  
 vitæ suæ metuens, quidquid equitum & militum habebat,  
 in urbem introduxit. Ea re accidit, quod accidere erat  
 necesse, ut Cardinales, qui jam prope omnes convenerant  
 ad novum Pontificem legendum, ne facere id possent,  
 Cæsar's exercitus timore impedirentur. qua intellecta re Se-  
 natus literas ad eos dedit, si ita opus esse ducerent, se ce-  
 leriter omnes suas copias Romam missurum, quibus faci-  
 lius Romanæ reipublicæ majestatem, & suam dignitatem  
 tueri, &, quæ ex usu essent, administrare libere ac sine  
 metu possent. Antonius etiam Justinianus legatus coram  
 idem est pollicitus Senatus reipublicæque nomine. quod  
 quidem illis tam suspecto tempore gratum ac peropportu-  
 num fuit. ea enim re permotus, ne in se reipublicam in-  
 citaret, Roma cum suis omnibus egressus copiis Cæsar,  
 Vaticanum sacro Senatui reliquit. Interim a Guido Ubal-  
 do nuncius ad Senatum venit, se se regnum & salutem suam  
 illi acceptam referre, cupere cum equitibus gravioris arma-  
 turæ centum, levioris, qui sagittis uterentur, centum &

H. Bembi.

P 3

quin-

*Guidus-U-  
baldus ite-  
rum recipit  
Urbinatum  
ducatum.*